

Doctrina Metaphysica

33.

DE

SAPIENTIA PRIMA  
DE SEX VULGO DICTIS  
CONDITIONIBUS SAPIENTIÆ,  
ET DE OBJECTIS EJUS.

Item

DE PRIMORUM PRINCIPIORUM  
PROBATIONE AC USU  
ET RELIQUORUM AXIOMATUM  
EX IIS DEMONSTRATIONE.

Quam

*Amplissimæ Facultatis Philosophicæ permissu, Veritatis & Aristotelicæ  
sententiæ investigandæ gratiâ publico discursui subjiciunt.*

PRÆSES

M. HARTVICUS WICHELMAN-  
NUS LÜNÆBURGENSIS


ET RESPONDENS.

BALTHASAR FRISIUS

Colmaria Holfatus.

In inclytâ Academiâ Regiomontanâ

in Auditorio Philosophorum ad d. Julii.



REGIOMONTI,

Typis JOHANNIS REUSNERI

Anno M. DC. XLI.

Philos.

B.

209,42









**I**nter Philosophantes illos solos pu-  
ros & incorruptos veritatis iudices esse putat  
Plutarchus, qui proprias sententias non excogi-  
tant & proponunt, sed de aliorum sententiis iudicant, easq; ex-  
plicant, cum hoc sit valde utile, illud sæpè impedimentum sit  
magnum: nam qui suas proponit sententias, is non potest, quin  
easdem pro optimis habeat, amoris vehementiâ, neq; enim ali-  
quid impensius amatur, quàm proprii intellectus fœtus, senten-  
tia puta excogitata: Unde etiam fit, ut qui proprias fovet opi-  
niones, tantò deterior sit alienarum iudex, vix agnoscens ea,  
quæ in aliorum sententiis vera sunt & bona *τυφλέμενοι γὰρ περὶ  
τὸ φιλέμενον, καὶ ἀν' ἑνδοθεν ἀντιπαθηγῆ, καὶ ἀντιχῆ δυσξύνετός ἐσσι  
τῶν λεγομένων ἕξωθεν.* Hæc & similia, quæ habentur apud Plu-  
tarchum in Platon: *Quæstionibus. Qu. 1.* cum nobis verisimiliâ  
esse videantur, placuit & placebit non propria quædam propo-  
nere, sed sententiâ alicujus summi Philosophi explicare. Sit itaq;:

**ASSERTIO I.**

Sapientia prima propriè & absolutè  
ita dicta, quæ modestiori vocabulo Phi-  
losophia prima dicitur, una est, à quâ  
cognitio DE I separari non potest.

§. 1. Quod Aristoteles toties inculcat, eum sci-  
licet, qui docere aliquid velit, initium informationis  
facere debere ab iis, quæ discenti sint jam antea nota,  
A 2 quamvis



quamvis cognitio illa discentis exigua sæpe sit & obscura: illud ipse observare voluit de sapientiâ tractaturus: ἔχει γὰρ ἕκαστος ( inquit ) οἰκῆιοντι πρὸς ἀλήθειαν, ἐξ ὧν ἀναγκάιον δεικνύνααι πως περὶ αὐτῶν. lib. 1. Eudem. cap. 6. Vid. l. 1. Post. Anal. c. 1. & 2. Lib. 1. Ethic. c. 2. vel 3. lib. 7. Metaph. cap. 4. l. 1. Physic. c. 1.

§. 2. Solet autem id, quod cum addito dicitur tale, interdum notius esse eo, quod absolute tale dicitur, hinc Philosopho non est insolens doctrinam suam ab illis inchoare, quæ cum addito talia dicuntur, vel ex hisce discentem deducere in cognitionem ejus, quod absolute tale dicitur: ita explicatur quis dicatur incontinens iræ, honoris, lucri &c. ut facilius cognoscatur, quis sit absolute dictus Incontinens, lib. 7. Ethic. c. 6. Ita ex virtute citharœdi, ex virtute oculi, equi &c. explicatur natura virtutis humanæ s. absolute dictæ. lib. 1. Eth. c. 6. & l. 2. cap. 5.

§. 3. Non absimili modo investigaturus & aliis monstraturus Aristoteles, quæ sit Sapientia absolute ita dicta primùm explicat, quinam dicantur Sapientes cum addito. lib. 6. Ethic. cap. 7. lib. 1. Meth. cap. 1. ex quâ doctrinâ sequentem elicio processum: Sapiens in certo genere is dicitur, qui ita excellit in cognitione aliquâ, ut cognitionis illius causas assignare possit. E. g. Sapiens pictor & sapiens statuarius is dicitur, qui artis suæ causas reddere novit, eodem modo in aliis artibus multis. Vocabulum autem Sapientis & Sapientiæ apud Græcos crebrò ita usurpatum fuisse constat, tum ex locis citatis, tum ex Platone in Theage & ex Marsilio. Ficino interprete ejus in præfatione in Dialog. citat & ex Xenophonte, in memorabilibus Socratis, ubi Socrates, contra Aristodemum probare conatur esse,  
DEUM



DEUM. Vid. etiam Suarez disp. 1. Métaph. f. 5. Num: 7.

§. 4. Quia verò hi cum addito tantum Sapientes dicuntur: Sapiens absolutè dictus procul dubio is erit, qui primas rerum omnium causas intelliget, talis enim non erit in certo genere Sapiens sed absolutè sine restrictione, tum ad Objectum, circa quod versatur, tum ad causas *εἶναι γὰρ τινὰς σοφὸς οἰόμεθαι ὅλως, ἢ κατὰ μέρος, ἢ δὲ ἀλλό τι ἢ σοφὸς* vel ( ut alii habent, ) *ἢ δὲ ἀλλό τι σοφὸς.*

Τὸν δ' ἔτ' ἄρ' σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν, ἔτ' ἄρα τῆρα, οὐτ' ἄλλως τι σοφόν.  
Citante Arist. ex Margite Homeri l. 6. Ethic. cap. 7.

§. 5. Sapiens verò absolutè dictus non tantum principia & causas novisse, sed etiam nonnullarum rerum scientiam, h. e. cognitionem veram ex causis eductam habere debet. l. 6. Ethic. c. 6. Ideoq; quales illæ res sint, quæ à Sapiente absolutè dicto quatenus tali cognosci vel sciri debeant, considerandum erit ulterius.

§. 6. Nam propter triplicem cognitionis finem scientiæ secundum Aristotelem triplicis sunt generis, Cōtemplativæ, Activæ & Effectivæ, ita tamen ut illi, qui sciunt res agendas s. aliam architectonicam habent scientiam, Sapientiores ipsi videantur iis, qui norunt res efficere, Theoretici verò utrisq; inter Theoreticos autem is maximè sapiens erit, qui Entia in universa rerum Naturâ præstantissima cognoscit, qualia sunt DEUS & Divina, & erit is absolutè dictus Sapiens, non restrictus per magis vel minus.

§. 7. Ex quibus colligitur l. 6. Ethic. c. 7. *Sapientiam primariò & absolutè dictam esse cognitionem, seu intellectum primorum principiorum, & scientiam rerum præstantissimarum, καὶ ὡσπερ κεφαλὴν ἔχουσαν ἐπιστήμην.* i. e. quæ caput sibi considerandum sumat rerum omnium, ipsa capitis occupans sedem inter scientias, vel quod intellectum primorum



principiorum, quasi caput sibi impositum habeat, uti vulgò docetur. *Sapiens ergò intelligit prima & scit o-  
prima.*

§. 8. Unde satis patet, non nisi specie unam esse posse sapientiam talem, eamq; considerationem DEI sub tanto nomine, & tam splendida descriptione sibi vendicare. Quare etiam absurdum videtur Aristoteli loco cit. si quis vel plures Sapientias statuatur, vel scientiam Politicam, aut prudentiam ipsam Sapientiam esse existimet cum illæ circa rem in mundo optimam non versentur *ἀποπρον γὰρ εἴ τις τὴν ἐπιστήμην ἢ τὴν φρόνησιν σπυδαίω-  
τάτην οἰεταί εἶναι, εἰ μὴ τὸ ἀέλσον τῶν ἐν τῷ κόσμῳ ἀνθρώπος ἐστίν.*

§. 9. Propter ea etiam Scientia Physica, quæ proximo gradu Sapientiam sequitur, dicitur *Sapientia secunda*, tanquam secunda à Sapientiâ. lib. 7. Metaph. c. 11. Item *Sapientia quædam sed non prima* Lib. 4. Met. cap. 3. h. e. non primariò, non propriè & absolutè ita dicta. Ita enim vocabulum primi usurpatur à Philosopho, ut substantiam primam dicit *κυριώτατά τε καὶ πρώτη καὶ μά-  
λισσι λεγομένην ἐσίαν.* lib. Categ. c. 5. §. 1. Ita φύσις πρώτη καὶ κυρίως λεγομένη conjunguntur. l. 5. Metaph. c. 4.

§. 10. Unde secundum Aristotelem, fallaciam fermè à dicto secundum quid ad dictum simpliciter committeret, qui scientiam Physicam vel absolutè Sapientiam dicere, vel à Sapientia prima & secunda commune genus præscindere vellet. Vid. lib. 1. Soph. El. c. 5. §. 3. l. 2. c. 11. §. 1. Ita enim Philosophus præscindere non consuevit, sed primum definire, & ad id reliqua reducere solet, videntur etiam vocum saltem impropiè acceptarum tales esse definitiones, qualis est Sapientiæ in abstracto.

ASSER-



39-

## ASSERTIO II.

Sex vulgò dictæ conditiones Sapien-  
tiæ utrumque manifestè arguunt, quæ  
ita cohærent, ut ex prima reliquæ dedu-  
ci possint.

§. 1. Qualis sit illa scientia, quam Sapienciam appel-  
lamus, circa quæ versetur, & utrum una illa sit, an verò  
plures, ut adhuc intelligatur meliùs, sex communes o-  
piniones, quæ de Sapiencia habentur, ab Aristotele re-  
censentur, lib. 1. Met. c. 2. ita collecturo: Si omnes  
opinionēs, quæ de Sapiente habentur, in unam cadunt  
scientiam una erit Sapiencia, sin minus, plures erunt.

§. 2. Est autem *prima* de Sapiente opinio quod ille omnia  
sciat, à Sapiente siquidem omnium rerum cognitionem requirere  
solemus, sed non in particulari, sufficit enim in universa-  
li, quamvis utraq; cognitio conjuncta procul dubio sit  
melior quia v. Scire est rem per causam cognoscere, is  
maximè in universali omnia sciet, qui primas & com-  
munissimas rerum causas & principia cognoscet, non  
dimittens se ad ad particulares rerum rationes.

§. 3. *Secunda* opinio de Sapiente est, ipsum scire ea, quæ  
hominibus sunt cognitu difficillima, de difficillimis enim Sapien-  
tiorē consulere consuevimus. Jam verò quæ sensui sunt  
obvia, illa sunt facillima, & talis cognitio omnibus ho-  
minibus, nisi aliquo sensu careant, est communis, quæ  
verò à sensu sunt remotissima, illorum scientia paucif-  
simis competet, & talia erunt omnium difficillima.  
Sensui autem obvia sunt effectus, singularia & quidem  
mobilia. Causæ itaq; primæ & communissimæ erunt remotis-  
simæ,

simæ,



*simæ, & per consequens difficillimæ, quales caussas secundum primam opinionem cognoscebat Sapiens.*

§ 4. Tertiò persuasi sumus Sapiientis scientiam accuratissimam esse, nisi enim hoc sit, decipietur, Sapiientem verò quàm talem decipi absurdum est. Confusio autem oritur in multitudine & compositione, multitudo autem vel nulla vel minima est in primis, prima etiam sunt simplicissima, e g. prima vocum elementa & principia pauca sunt & simplicia, quæ verò inde oriuntur composita, syllabæ puta & voces sunt infinitæ. Unde liquet, primarum caussarum & principiorum cognitionem esse accuratissimam, qualis cognitio fuit Sapiientis secundum primam opinionem.

§ 5. Multi multa norunt, sed non omnes ea, quæ norunt, alios docere possunt. Docere autem imprimis est rei caussam assignare: *ἔτι γὰρ διδάσκειν οἱ τὰς αἰτίας λέγοντες περὶ ἑκάστου* lib. 1. Met. c. 2 Nam scire facit, qui docet, scire autem cur res sit, est primam caussam cognoscere, quod etiam est simpliciter scire lib. 1. Post. c. 10. lib. 1. Phys. c. 1. lib. 2. Phys. c. 3. lib. 1. Metaph. c. 3. l. 7. Met. c. 17. Cum itaq; quartò hanc de Sapiiente foveamus opinionem, quod ipse maximè omnium docere possit, quando scilicet intellectum vel sapiientiam in eo desideramus, qui docere non potest; talis utiq; erit, qui secundum primam sapiientis conditionem primas rerum caussas cognoscet.

§ 6. Opinamur quintò, Sapiientis scientiam maximè propter se expeti, quando eam divinam esse putamus. Tale enim propter se, non propter aliud eligendum iudicamus. Maximè autem expetitur ea scientia, quæ maximè est scientia, sed maximè scientia est rei maximè scibilis, maximè autem scibilia sunt, quæ reliquis, ut sciantur, caussæ existunt & principia, propter quod enim unumquodq; est tale univocè, illud magis est tale. lib. 1. Post. c. 2. l. 2. Metaph.



Metaph. c. 1. Quia itaq; Sapiencia juxta primam conditionem est scientia primarum causarum, quæ ut jam dictum est, maximè sunt scibiles, eadem erit maximè scientia, & per consequens maximè per se expetenda.

§ 7. Priusquam ultima conditio Sapienciæ explicari poterit, dubium quoddam hic solvendum erit. Dictū fuit § 2. quod scire sit rē per causam cognoscere, si hoc verum est, quomodo primæ causæ & prima principia sciētur, cognoscerētur siquidem ex causis, quæ semper erūt priores, adeoq; ipsæ causæ primæ non erunt primæ? Resp. ex lib. 1. Post. c. 3. *Scire esse duplex: Vel enim per Demonstrationem scimus ex principiis & causis: vel sine demonstratione scimus, quæ dicitur scientia ἀναπόδεικτος.* Priori modo principia prima non sciuntur, cognoscerentur enim ex prioribus. Posteriori autem modo principia prima sciuntur, vel per inductionem, vel aliis modis, ita quidem, ut majorem fidem principiis habeamus, quàm conclusionibus & melius circa illa simus dispositi, ac si per demonstrationem eadem cognosceremus. Propter principia enim credimus & scimus reliqua lib. 1. Post. c. 2. §. 14. Neq; existimandum, quasi omnia demonstrari possint, hoc enim impossibile Philosophus pronunciat, cum dentur prima indemonstrabilia. Vid. lib. 1. Metaph. c. ult, lib. 3. c. 2. l. 4. c. 4. & 6. lib. 2. Post. c. ult.

§ 8. Sexta & ultima, quam de sapiente habemus, opinio est, ipsum maximè aptum esse, qui reliquis imperet. Sapiens enim aliis præscribere, ipsi vero præscribere debet nemo, ipse aliis persuadere debet, ipsi verò persuadere debet nemo, si scilicet sit absolutè sapiens. Notandum itaq; quod 1. persuadere, imperare, præscribere fiat propter certū finē. 2. quod is ad imperandū reliquis maximè aptus sit, qui finē novit, propter finē enim imperat. 3. Quod finis cujusq; sit bonum ejus. 4. Quod finis seu id,  B  cujus



cuj<sup>o</sup> gratia sapiens imperat, reliquis scientiis im primis Theoreticis debeat esse bonū in universā natura optimum seu id, cuius gratia tota movetur natura, quod DEus est, finis siquidem rerum erit etiam finis cognitionis Theoreticæ. §. Quod caussa finalis, sive id, cuius gratia reliqua fiunt vel mouentur, sit primum reliquorum principium, & caussa prima eorum, quæ sunt vel moventur ejus caussā, qualis caussa imprimis cognosci debet à sapiente secundum primam opinionem datam.

§ 9. Unde cum Philosopho colligitur in unam & eandem scientiam cadere nomen Sapientiæ, eamq; DEum, qui finis est & principium motus rerum omnium, imprimis cognoscere, ὁ, τε γὰρ θεός, δοκεῖ τὸ αἴτιον πάντων εἶναι καὶ ἀρχὴ τις.

§. 10. Nec est, ut dicatur, Aristotelem de principiis complexis tantum loqui; Diversum enim ex citatis manifestè constat, & ex aliis locis, imprimis verò ex lib. 3. Metaph. c. 2. Ubidenuò quæritur, utrum unius sit scientiæ an plurium, 1. finem considerare & bonum, cuius gratia sint reliqua omnia, juxta sextam Sapientiæ conditionem. 2. Substantiam utpote quæ maximè sit scibilis, & prima caussa, cum reliqua per substantiam definiantur & sciantur, & 3. Primum motus principium, quale nos Caussam Efficientem appellamus, & 4. Principia demonstrativa seu axiomata, quæ prima principia complexa dicuntur.

### ASSERTIO III.

Sapientia seu Philosophia prima & absolutè ita dicta considerandam sibi postulat Substantiam immobilem, & à  
Mate-



Materia separatam. §. 4. imprimis DE-  
 um. §. 1. & 5. & quidem secundum pro-  
 prias ejus rationes. §. 2. & 3. Quia verò  
 primum Ens contemplatur, ideoq; et-  
 jam optima ratione & ordine de Ente,  
 quat. Ens est, agit. §. 7. &c. imprimis ve-  
 rò de substantiâ. §. 10. & principiis Substā-  
 tiæ §. 11. & quoniam de Ente in genere  
 tractat, prima quoq; principia Axio-  
 matica considerare debet. §. 12. & reli-  
 quarum disciplinarum principia. §. 13.

§. 1. Si datur Scientia, quæ substantiam considerat  
 immobilem seu immaterialem, qualis est DEus: vel si  
 datur scientia, quæ DEum considerat, alia, quam Sapien-  
 tia prima, illa certè erit sciētia maximè divina, & maxi-  
 mè honorabilis, & ipsa Sapiētia prima melior & præstā-  
 tior: quod absurdum esse & contradictionem involve-  
 re videtur. ἔτε γὰρ τῆς τοιαύτης ἀλλήν χρὴ νομίζεν τιμιωτέραν. &c.  
*Nec enim decet aliam scientiam, quam Sapiētiā, majore ho-  
 nore dignam putare: quæ enim maximè divina est, illa etiam  
 maximo honore est digna: divina autem scientia propter duas  
 saltem esse potest rationes. 1. Scientia divina erit, quam maximè  
 DEus habet. 2. Quæ tractat de rebus divinis, sola autem Sa-  
 pientia prima utrumq; consecuta est, lib. 1. Met. c. 2.*

§. 2. Quamvis autem primo intuitu statim absurdū  
 videatur, à Sapiēntis cognitione removere specialem

B 2

DEI



DEI considerationem, quanta enim erit ejus Sapiencia? non defuerunt tamen, qui dixerunt, DEum in Metaphysicâ quam volunt esse Sapienciam primam, non considerari secundum proprias rationes, sed tantum, ut primum Ens & primam causam.

§. 3. Verum 1. hæc videtur esse petitio principij: Nam illa scientia quæ DEum considerabit secundum proprias ejus rationes, erit scientia divina juxta §. 1. & per Consequens ipsa Sapiencia prima, cum hæc sola divina sit, vel erit eâ nobilior, vel æquè nobilis, quorum utrumq; est absurdum, si natura Sapientis ex supra dictis attendatur. 2. Quid hoc est dicere, DEum considerari tanquam primum Ens & primam Causam, nam si id intelligatur hoc modo, quod in Metaphysicis tantum dicatur DEum esse primū Ens & primam Causam, postquam in actu signato explicatum fuerit, quæ sit Causa prima &c. miror distinctionem illam: Nam hac ratione omnia Entia considerantur in Metaphysicis modernis, puta tanquam Causæ secundæ &c. Sin id ita intelligatur, quod in Metaphysicis explicetur, qualis sit illa prima Causa, idq; ad DEum applicetur, hæc utiq; erit consideratio DEI secundum proprias s. speciales rationes ejus. Hinc etiam 3. *Aristoteles ex eo, quod DEus est prima Causa, educit, quod DEus sit substantia, cum hæc sit prior accidente: & quidem actus, cum hic sit prior potentia, actus autem æternus, cum æternum prius sit: Ulterius cum DEus sit prima Causa, quæ ab extrinseco non mota agat, inde elicit, quod DEus agat secundum intellectualem cognitionem & appetitum boni & quidem summi boni, ita ut ratio boni illius optimi sit in DEO, & sit ipse DEus, secus quam Pythagorici statuerint, bonum non esse in principio. Unde DEI vitam quippè intellectualem optimam esse dicit, continuam & æternam, & DE-*  
um esse



um esse vivens æternum optimum lib. 14. (12.) Metaph. c. 6.  
& 7. Inter quæ certè propriè DEI rationes continentur.

§. 4. Circa substantiam separatam & immobilem  
versari primam Philosophiam expressis verbis doce-  
tur. l. 2. Phys. c. 2. in fine. l. 6. Metaph. c. 1. l. 13. (11.)  
Met. c. 7. Quod etiam ipso opere fit libris ultimis Me-  
taphysicorum, seu de Sapientia prima, Unde l. 11. (13.)  
Metaph. c. 1. inquit Philosophus: *De rerum sensibilibus Es-  
sentia dictum est, quanam sit in tractatu quidem Physico de Ma-  
teriâ, posterius verò de actu. Præsens verò consideratio hoc intē-  
dit, utrum præter sensibiles Essētiās sit Essentia quædā immobilis  
& æterna nec ne, & si sit, quanam illa sit, & qualis, & lib. 14. (12.)  
c. 6. Cum verò tres sint substantiæ seu Essentiæ, duæ quidem  
Naturales, seu mobiles tertia verò immobilis, de hac dicendum  
est, quod necessum sit perpetuam aliquam & immobilem Sub-  
stantiam esse.*

§. 5. Verum de Substantia immobili & à Materiâ  
separatâ Sapientia agit propterea, quia sub hâc imme-  
diatè DEUS comprehenditur, qui est prima & princi-  
palis causa & Principium reliquorum omnium, cuius  
propterea consideratio pertinet ad Sapientiam juxta  
primâ de sapiente opinionē *εἰπερ ἐστὶ τις τοιαύτη φύσις λέγω  
δὲ χωρὶς ἢ καὶ ἀκίνητος ἐν τοῖς ὄσιν, ἐν ταύθαι ἂν εἴη πρὸ καὶ τὸ θεόν: καὶ αὐ-  
τῇ ἂν εἴη πρώτη, καὶ κυριωτάτη ἀρχή.* Unde Sapientia etiam scientia  
& Philosophia vocatur Theologica. l. 11. (13.) Metaph. c. 7 l.  
6. Metaph. c. 1.

§. 6. Quomodo mediante abstractione objecta tum  
aliis scientiis Theoreticis, tum etiam Metaphysicæ ad-  
judicentur, id passim videre est in libris Metaphysico-  
rum. Dari abstractionem in Mathematicis nonnullis  
certum est: cuius etiã mentionem sæpè inicit Aristo-  
teles. V. l. 2. Phys. c. 2. & l. 13. (11.) Met. c. 3. Reliquis

B 3

verò



verò, quæcunq; illæ sint, abstractionum generibus facile carebit, qui res ipsas potius intueri & Aristotelicum considerandi modum sequi, quam abstractionibus suis omnem philosophandi vim adscribere velit. Vid. Scarfius in accurato Philosophandi genere, th. 15. 20. & reliquis.

§ 7. Alia via rem aggreditur Philosophus: Quem admodum inter Mathematicas scientias ea, quæ agit de prima Quantitatis specie, in genere simul Quantitatem considerat, & illa, quæ omni Quantitati sunt communia, ita inter scientias Theoreticas dabitur aliqua, quæ agat de primario Ente, de substantia puta immateriali, quæ simul Ens in genere considerabit, & ea, quæ omni Enti sunt communia. Neq; enim de Ente peculiaris scientia est conscribenda, inquit Mend. disp. Metaph. 1. sect. 3. §. 25. V. Suarez. disp. Metaph. 1. sect. 3. n. 10. & Arriaga in Proœmio Metaph.

§ 8. Quod dixi manifestis verbis proponitur lib. 6. Metaph. c. 1. *Dubitaverit aliquis utrum prima Philosophia Universalis sit, an circa unum aliquod genus & unam naturam versetur. Nam Mathematicæ etiam disciplinæ non eodem modo circa objecta sua versantur, & Geometria, & Astrologia quidem peculiare quoddam objectum considerant: Geometria verò etiam ea tractat, quæ omnibus communia sunt universaliter. Si igitur non est alia aliqua substantia præter substantias naturales seu mobiles, Physica erit prima scientia omnium. Quod si est aliqua substantia immobilis (ut Deus) hæc prior & Philosophia prima & universalis eam ob causam, quia prima, & de Ente quat. Ens est, & quid sit, & quæ ei universaliter, quatenus Ens est, insunt, hujus est considerare. Conf. lib. 13. Met. c. 7. & lib. 4. M. c. 2. εστιν ο φιλόσοφος, ὡς περὶ δ μαθηματικὸς λεγόμενος, καὶ γὰρ αὐτὴ ἔχει μέρη. καὶ πρώτη τις καὶ δευτέρα*



δ εὐτέρε ἐστὶ ἐπιστήμη, καὶ ἄλλη ἐφεξῆς ἐν τοῖς μαθήμασιν, & lib. 13 (11.)  
 Metaph. c. 3. μίαν πάντων καὶ τὴν αὐτὴν τίθεμεν ἐπιστήμην τὴν γεωμε-  
 τρικὴν. τὸν αὐτὸν τρόπον ἔχει καὶ περὶ ὄν & c.

§. 9. Neq; obstat locus lib. 4. Metaph. c. 1. ubi dici-  
 tur: *Est quaedam scientia, quæ considerat Ens, quatenus Ens  
 est, & quæ ei per se insunt. Hac autem nulla est ex particula-  
 ribus scientiis, nulla enim universaliter Ens prout Ens est,  
 considerat, sed quælibet partem aliquam Entis abscindens con-  
 siderat ea, quæ illi parti competunt.* Nam hoc de scientiis  
 reliquis Mathematicis puta & Physicis ante Aristote-  
 lem conscriptis intelligendum. *Est enim scientia quæ-  
 dam ipsâ Physicâ sublimior, quæ primam substantiam, & Ens in  
 universali contemplatur.* lib. 4. Metaph. c. 3. Vid. §. 11.

§. 10. Attamen non tam in explicatione Entis occu-  
 pata est Metaphysica Aristotelis quàm in considerati-  
 one substantiæ, propter primam conditionem Sapien-  
 tiæ, cum Substantia sit principium reliquorum, quæ  
 Entia dicuntur. Vid. §. 10. Assert. primæ & prius Ana-  
 logatum Entis, per quod reliqua definiuntur: Ens e-  
 nim, utpote quod est, ἐκ τῶν πολλοῦ ὡς λεγομένων unâ definitione  
 explicari non potest juxta Aristotelem, neq; commu-  
 nis conceptus ejus abstrahi potest, ut alibi demon-  
 strabitur. *Quod primò Ens est & non aliquod Ens, sed Ens  
 simpliciter substantia est. Substantia enim & ratione i. e. defi-  
 nitione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum  
 est. Quodq; tam olim, quàm nunc & semper quæritur, semperq;  
 dubitatur, quidnam Ens sit, hoc idem est ac quid substantia sit.  
 Quare nobis quoq; maximè & primum & solum, ut ita dicam, de  
 Ente hoc pacto quidnã sit speculandum est, l. 7. Met. c. 1. Item  
 Substantia ratione prior est, quia necessum est in cujusq; Entis  
 ratione seu definitione definitionem inesse substantiæ.* Vid. lib.  
 9. Metaph. c. 1. ubi ab initio statim eadem dicuntur.

§. 11.



§ 11. Unumquodq̄ tunc scire putamus, inquit Philosophus, quando causas ejus primas novimus, & prima principia & usq̄ ad elementa. lib. I. Phys. c. 1. Unde manifestum est, quod si quis Substantiam novisse velit, principia & causas substantiarum considerare debeat. Unius scientiæ est Entia contemplari quatenus Entia sunt, & imprimis versari circa illud, quod primariò Ens dicitur, & ex quo reliqua dependent. Si igitur hoc est Substantia substantiarũ oportet principia & causas novisse Philosophum, puta primum & absolutè dictũ lib. 4. Metaph. c. 2. Circa substantiam præsens est contemplatio, substantiarum enim principia & causæ quærentur lib 14. (12.) Met. c. 1.

§. 12. De primis principiis complexis, seu de Axiomatibus primis frequenter quærit Philosophus, cuius disciplinæ sit ea considerare, an ejus, quæ agit de substantia, seu de Ente, sapientiæ puta, an verò alterius: quod si alterius disciplinæ esset axiomatica principia considerare, illa cum Sapientia de dignitate certaret, pluresve Sapientiæ essent. lib. 3. Metaph. c. 1 & 2. Quoniam verò hoc absurdum esse videtur, Philosophus concludit, quod ejusdem, scientiæ sit de Ente agere, & de principiis dictis, cum non certo alicui generi competant, sed omnibus Entibus, quatenus Entia sunt, insint, lib. 4. Met. c. 3. lib. 13. (11.) Met. c. 1. Et hoc ipsum etiam exigere videtur prima conditio Sapientiæ.

§. 13. Sapientia itaq̄; prima, quandoquidem primorum axiomatum considerationem nacta est, reliquarum etiam disciplinarum principia explicare debet, & & probare potest, (nisi enim explicentur, probari non poterunt, Probl. 3. §. 3. 5.) propria enim disciplinarum principia demonstrari non possunt, nisi ex communibus omnium principis quorum scientia erit omnium scientiarum Domina. lib. 5. Post.



Post c. 7. §. 12 c. 8. §. 19. De principio vero hoc Metaphysico: *Impossibile est idem simul inesse eidem secundum idem*, Philosophus dicit, quod natura sit omnium axiomatum principium lib. 4. Met. c. 3. Unde colligitur, quod Metaphysicæ seu Sapientiæ sit principia reliquarum disciplinarum probare.

## PROBLEMA PRIMUM.

Principia prima cognoscendi seu Syllogistica, quantum possibile est, probare.

§. 1. Principium primum Axiomaticum hisce plerumq; verbis effertur: *Impossibile est idem simul esse & non esse*; Alterum v. hisce: *Quodlibet est, vel non est*: Quorum illud juxtaexplicationem & sensum Aristotelis etiam ita proponi potest: Idem de eodem simul verè affirmari & negari impossibile est, puta re non nomine secundum idem ad idem eodem modo, & si quæ aliæ limitationes addendæ sunt ex lib. 1. Sophist. El. c. 5. §. 4. Hoc vero ita enunciatur: Necessum est quodlibet unum de quolibet uno verè affirmari vel negari. Vid. lib. 4. Met. c. 6. & 7. lib. 3. Met. c. 2. lib. 1. Post. c. 1. & c. 8. §. 16. & 17. lib. 1. pr. c. 44. §. 2. & 5.

§. 2. Mendoza disp. Met. 3. sect. 3. §. 20. cum Javello existimat, dicta duo principia applicata terminis contradictoriis formaliter unum esse & idem, in contrariis autem non esse idem. Verùm principia hæc tota ad contraria applicari non possunt, modus tamen enunciandi prioris ad contraria applicari potest secundum veritatem rei: Impossibile enim est, contraria eidem simul inesse eodem modo, secundum idem &c. *ei γὰρ ἀδύνατον ἅμα καταφάναι καὶ ἀποφάναι ἀληθῶς, ἀδύνατον καὶ τάναντίαι ὑπάρχειν ἅμα.* lib. 4. Met. c. 6. & c. 3. Modus autem enunciandi

C

ciandi



ciandi posterioris principii ad contraria applicari non potest, non enim dicere possum, Necessum est quodlibet esse album vel nigrum: Datur enim medium tunc subjecti tunc formæ. Unde colligere potuisset Mendoza, quod duo principia dicta non significant idem formaliter, cum posterius dicat carentiam medii, quæ est inter contradictoria, Unde contrariis etiam modus ejus applicari non potest: Prius a. dicat oppositionem tantum, unde contrariis modus ejus applicari potest, Hinc etiam hoc principium prius est quia oppositio prior est immediatâ oppositione.

§. 3. Notandum itaq; quod duo illa principia sint quidem circa idem, puta circa contradictoria, sed quod propterea non statim sint idē, multò minus formaliter unum, uti Mendoza loquitur, quia non eodem modo circa idem versantur, neq; circa idem formaliter: Aliud enim est inter contradictoria dari immediatam repugnantiam, seu carentiam medii, aliud est hunc loquendi modum: Impossibile est &c illam exprimere, quæ duo confundere voluit Mendoza.

§. 4. Quamvis v. propter ea, quæ dicta sunt, & alia non satis intellexisse videri possit hæc principia Mendoza, ita tamen certa eadem esse putat, ut fuste potius, quàm ratione erudiendum judicet, si quis hæc principia negaverit, vel distinxerit: Verùm fustibus alicui veritatem persuadere, id in scholis Græcorum fortassis inusitatum fuit. Primum, itaq; principium simpliciter quidem demonstrari non posse docet Aristoteles, principium enim peteret is, qui id tentaret, posse tamē probari ἐλεγκτικῶς contra eum, qui contrarias locutiones asserat, si modò aliquid is dicat aut concedat: Quod si nihil concedat vel admittat adversarius  
 γελοιον τὸ ζητεῖν λόγον πρὸς τὸν μηδενὸς ἔχοντα λόγον ἢ μηδὲνα ἔχει λόγον. ὅμοιον γὰρ φυτόν ὁ πιδῶν ἢ πιδῶν lib. 4. Met. c. 4.

§. 5.



§. 5. Quærendus initio erit adversarius, utrum concedat, quod alter alteri verbis aliquid significare possit, ita ut alter alterum intelligat. Si hoc concedat, ita argumentari licet, vel simili modo: Quod intelligi debet, illud non potest simul affirmari & negari: quomodo enim intelligetur, si dicatur Socratem esse hominem & non esse hominem, neq; enim intelligo an sit homo, neq; an non sit homo: quando aliquid dicitur de aliquo, id intelligi debet juxta hypothesein. Ergo quando aliquid dicitur de aliquo, illud simul affirmari & negari non potest. Deinde necessum est, ut singula nomina in oratione unum significant, & non multa, aliàs non intelligetur oratio, quid enim intelliges, si dicam: Heri ursam vidi, nisi quid addatur. τὸ γὰρ μὴ ἐν τῇ σημαίνειν, ἔδὲν σημαίνειν ἐστὶ. Afirmatio autem significat unum, negatio verò ejusdem significat diversum quid, nam idem quod affirmatio significat, non significabit negatio ejus. Illud itaq; de quo affirmatio erit vera, non erit unum, si de eo negatio, quæ diversum significat, etiam verè dicetur. Nihil ergò significabitur, quia non significatur unum. Quod si nomine (vel oratione nominis loco positâ, perinde n. est) quo subjectum exprimitur, aliquid significetur, necessum est ut unum illud sit, quod significatur, Unde Impossibile erit, ut de eo idem simul verè negetur quod affirmatum est, & affirmetur, quod negatum est. Nam aliàs uti dictum est, non erit unum & per consequens non significabitur. Ulterius quod necessum est esse, illud tunc, quando necessariò est, impossibile est simul non esse; quod voce verè significatur esse, id necessum est esse tunc, quando significatur esse, aliàs n. non cum veritate significabitur esse. E. id, quod voce verè significatur esse, illud impossibile est simul non esse,



se, Quod verò impossibile est non esse, quando non est impossibile est verè negari, quod voce verè significatur esse, illud impossibile est simul non esse, quando significatur esse. E. quod voce verè significatur esse, h. e. quod verè affirmatur, impossibile est simul verè negari. Idem itaq; simul verè affirmari & negari est impossibile. Eodem modo ex non esse argumentari licet: Reliqua vide lib. 4. Metaph. c. 4. lib. 13. (II.) c. 5.

§. 6 Alterum principium: Necessum est quodlibet de quolibet affirmando vel negando verum dicere probari potest, si definiatur, quid sit verum & falsum esse *ἐξ ὁρισμῶν γὰρ διαλεκτικῶν.* lib. 4. Met. c. 7. & 8. *Verum autem est dicere id, quod est, esse, & id, quod non est, non esse: falsum est dicere id, quod est, non esse, & id, quod non est, esse:* Quodcumq; jam dicit id, quod est, esse, vel id, quod non est, non esse, verū dicit, quodlibet de quolibet affirmando vel negando dicit id, quod est, esse, vel id, quod non est, non esse, (ut qui dicit Socratem esse hominem, vel non esse hominem, si Socrates est homo, prior pars erit vera, si non est homo, posterior vera erit juxta definitionem datam, *nam quod est, inquit Philosophus, non dicitur verè esse aut non esse, neq; quod non est dicitur esse aut non esse*) E. quodlibet de quolibet affirmando vel negando verum dicit. Quod si adversarius præmissas concedat, conclusionem verò neget, tunc ex priori principio modo infra monstrando probl. 2. §. 3. illum redarguere licet: Quoddam de quodam vel quolibet affirmando vel negando verum non dicit: Quodlibet de quolibet affirmando dicit id, quod est, esse, vel id quod non est, non esse. E. Quoddam, quod dicit id, quod est, esse, vel quod non est, non esse, non dicit verum: Sed dicit verum juxta concessam præcedentis Syllogismi  
uni-



universalem majorem. Idem itaq; dicet verum, & non dicet verum, quod est impossibile.

§ 7. Ex primo principio elici possunt sequentes assertiones: *Quod impossibile sit duas contradictorias simul esse veras; ἐστὶ γὰρ ἀντίφασις κατὰ φασίς καὶ ἀπόφασίς αἱ ἀντικείμεναι.* lib. de Int. c. 6 § 4. *Quod necessum sit alteram contradictionis partem esse falsam; ex altero sequentes: Quod impossibile sit duas contradictorias simul esse falsas, quod necessum sit alteram contradictionis partem esse veram, quod in contradictoriis si negation non sit vera, affirmatio vera sit futura, quodq; si affirmatio non sit vera, necessum sit negationem esse veram,* quæ ex definitione veri & falsi probari etiam possunt, Vid. lib. 4. Met. c. 8. & lib. 2. pr. c. 11. §. 29. *Quod si dicatur: Necessum est, ut altera pars contradictionis sit vera, & altera sit falsa, juxta explicationem tamen datam lib. de Inter p. c. 9. utrumq; principium vel quod sequitur ex utroq; conjungatur.*

## PROBLEMA SECUNDUM.

Principiorum primorum Axiomaticorum usum monstrare.

§. 1. Duplicem esse Syllogismum, sive Demonstrationem constat; Ostensivam, & ducentem ad incommodum seu Impossibile: Ita quidem ut *quicquid ostensivè concluditur, illud etiam per Impossibile probari possit, & quod per deductionem ad impossibile probatur, illud etiam ostensivè adstrui queat, & quidem per eosdem terminos.* lib. 1. pr. c. 29. §. 1. lib. 2. Prior c. 14. §. 3.

§. 2. Demonstratio Ostensiva est, quando propositio probanda fit conclusio Syllogismi, ut: si velim probare, quod omnis homo sit risibilis, & probem id hoc modo: Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale. E. Omnis homo est risibilis.  
Demon-



Demonstratio v. per impossibile est, quando propositio, quæ probari debet, non fit conclusio Syllogismi, sed Contradictoria ejus cum alia propositione vera, jungitur, ut inde absurdum aliquod eliciatur. E. g. Si hanc propositionem dicto modo probare velim: Omnis homo potest sentire, tunc sumo contradictoriam ejus. Quidam homo non potest sentire, eamq; in præmissis cum alia aliqua propositione manifestè verà connecto, quæ sit hæc: Omne animal potest sentire, cui adjuncta contradictoriâ: Quidam homo non potest sentire, sequitur absurda conclusio. E. Quidam homo non est animal. Quâ factâ dicendum: Conclusio est falsa. E. Major vel minor: *Ex veris enim non potest concludi falsum, nam aliàs sequetur Impossibile*, uti §. 3. monstrabitur. I. 2. pr. c. 2. & II. Major a. non est falsa. E. Minor, quod si Minor negativa est falsa, contradictoria ejus affirmativa, quod sc. omnis homo possit sentire, vera erit. Nam quia quodlibet affirmando vel negando verum dicit, si negatio non est vera, affirmatio erit vera, uti fuit dictum Probl. 1. §. 7. Atq; hic est usus secundi principii in Syllogismis ducentibus ad incommodum docente Philosopho l. 1. post. c. 8. §. 17. τὸ ἀπάν φάναι ἢ ἀποφάναι ἢ εἰς τὸ ἀδύνατον ἀπόδειξις λαμβάνει.

§. 3. Usus verò prioris principii est in Syllogismis Ostensivis: si quis enim præmissas, ut veras concedat, conclusionem verò neget, tunc ex contradictoriâ conclusionis & alterâ præmissarum, contradictoria alterius præmissarum elici potest, & ita duæ Contradictoriæ erunt simul veræ, quod est impossibile. Hujusmodi processum Aristoteles conversionem vocat lib. 2. pr. c. 8. Ut si quis has duas propositiones concedat. O. animal sentit. O. homo est animal, Conclusionem verò. E. Omnis

mnis



omnis homo sentit, neget, tunc sumo contradictoriam  
 Conclusionis, quam conjungo cum Maiore. O. animal  
 sentit. Quidam homo non sentit, & concludo. E. Qui-  
 dam homo non est animal. Concessum a. fuit, quod o-  
 mnis homo sit animal, erit itaq; animal & non erit ani-  
 mal idem homo, quod est impossibile. Vid. Probl. 1. §.  
 6. Et lib. 2. pr. c. 2. §. 1. & 2. Notandum v. quod lib. 1.  
 Post. c. 8. doceat Philosophus, nullam Demonstratio-  
 nem adhibere hoc principium, nisi conclusio hoc mo-  
 do sit probanda: Socrates est animal, Non autem non  
 animal, Tunc Major debet ita formari; Homo est a-  
 nimal, non a. non animal. Socrates est homo. E. So-  
 crates est animal, non a. non animal, aliàs n. idem de  
 eodem simul affirmabitur & negabitur, quod est im-  
 possibile. Hæc interim assertio: *ex veris non nisi verum se-*  
*quitur*, hoc nititur principio, cuius usus in Syllogismis  
 ducentibus ad incommodum monstratus fuit §. 2. ra-  
 tio v. Principii primi in Syllogismis ostensivis ex mo-  
 do dictis est manifesta.

## PROBLEMA TERTIUM.

### Reliqua principia Syllogistica ad- struere

§ 1 Qui Geometriam discit, is quaedam iam antea scire so-  
 let vel debet, quorum verò illa est scientia, & quæ docendus est,  
 illorum nihil præcognoscit, ita in ceteris lib. 1. Metaph. c. 7.  
 in fine. Omnis siquidem doctrina, & omnis disciplina, quæ est  
 cum ratiocinatione ex præexistente cognitione acquiritur. loc.  
 cit. & lib. 1. post. c. 1. Vid. Assertio prima §. 1.

§ 2. Præcognitio illa est imprimis circa principia,  
 & quidem duplex. Nam primò novisse debet, qui di-  
 sciplina m



sciplinam discere vult, *quid sit*, id est, quid vocabula, ex quibus principia constant, significant. Secundò *quod sit*, hoc est, quod prædicatum subiecto verè conveniat. E. g. De hoc principio: Ab æqualibus si auferas æqualia, remanent æqualia, novisse debet, quid significet æquale, & deinde quod hæc propositio sit vera. Illud ex loquendi modo observatur, hoc per introductionem sensualem discitur &c. Vid. l. 1. Post. c. 1. §. 4. c. 8. §. 1.

§. 3. A viro a. Sapiente requiritur, ut utrumq; & *quid sit*, & *quod sit* circa principia talia cognoscat accuratissimè, & alterum explicare, alterum v. probare possit. *διὰ τὸ τῆς αὐτῆς εἶναι διανοίας τότε τί ἐστὶ δῆλον ποιεῖν καὶ εἰ ἐστὶ τῆτο.* lib. 6. Metaph. c. 1,

§. 4. Propterea Aristoteles in Metaphysica sua, quam Sapientiam esse vult, postquam lib. 4. c. 3. docuit, quod Sapientiæ sit prima principia Syllogistica considerare, & seqq capp. prima duo principia explicavit, sequenti libro 5. c. 4. multos terminos explicat, ex quibus reliqua principia Syllogistica constant, quid illi termini significant, & quot modis dicantur quot modis dicatur causa, principium, natura, elementum, unum, necessarium, perfectum &c.

§. 5. Quo factò ex primis duobus principiis reliqua probari possunt sequenti modo. Si hoc principium probare velim: Totum est majus qualibet sua parte, tunc à definitione incipio. *ἰξ ὁρισμῶ γὰρ διαλεκτέον.* lib. 4. Metaph, c. 8. Definitionem Majoris ex lib. 5. Metaph. c. 15. desumere licet talem: Majus est, quod excedit, quod verò excedit, illud tantum est, & ultra: Totum v. ita definitur, lib. cit. c. 26. Totum est unum, quod continet & plura, quæ continentur, ut sint unum. Unde argumentatio fieri potest talis: Quod tantum est, quan-



quantum singula contenta, & ultra, illud est majus singulis contentis, unum quod continet plura contenta, illud tantum est, quantum singula, quæ continentur, & ultra. E. Unum, quod continet plura contenta, est majus singulis contentis. Totum est unum, quod continet plura contenta. E. Totum est majus singulis contentis, quæ partes dicuntur. cap. 25. lib. cit. Totum ergo est majus singulis suis partibus, quod fuit probandum.

§. 6 Definitiones Totius, Partis & Majoris probari non debent, sed intelligi tantum, τὰς γὰρ ὁρισμὸς μόνον ἐστὶν ἐστὶν δὲ lib. 1. Post. c. 8. §. 10. Si quis a. intellectis & concessis præmissis conclusionem ultimam, quod Totum sit majus &c. neget, tunc ex negatione illa educo, quod idem simul affirmetur & negetur, quod est impossibile juxta modum monstratum Probl. 3. §. 2. Probl. 1. §. 6.

§. 7. Hujusmodi a. principia, ut: Totum est majus qualibet sua parte, non tantum ostensivè, uti factum fuit §. 5. sed etiam per deductionem ad incommodum probari possunt juxta methodum præscriptam Probl. 2. §. 2. Ita ut secundum principium, Quodlibet affirmando &c. adhibeatur.

## COROLLARIUM DE SOPHISTIS.

§. 1. Sophistas apud Athenienses olim dictos fuisse sapientes, & Eloquentiæ aliarumq; bonarum artium Doctores, atq; id nomen suâ natura honestissimum fuisse ut Tyranni, Wolfius docet Interpres Isocratis optimus in argumento Orationis, quæ est contra Sophistas, idq; ex Xenophonte, Isocrate, & aliis probari potest se putat.

*Sophista est fallax et impostor, et dicitur a verbo σοφιστής quod est verbum decipere. vid. Suid. Tom. 2. Oper. in voce Soph. p. 777. A. quod olim enim dicitur fuerit Sophista sapiens et eloquentia magister, testatur Democritus l. A. et B.*

D

§. 2. c.



§. 2. Verùm si quis vocabulum Sapientiæ confide-  
ret secundùm derivationem ejus, & deinde juxta asser-  
tionem nostram primam ex Græcis Autoribus perpen-  
dat, quod in omni genere artium illi, qui excelluerunt,  
σοφῶν non σοφιστῶν dicti fuerint, is de communi sententia,  
quod vocabulum Sophistæ fuerit honestum, dubita-  
re posset, & suspicari, quod quemadmodum aliud est  
vulpem esse, aliud vulpinari, ita aliud esse σοφὸν εἶναι, aliud  
σοφίζεσθαι, Ut ita docentibus Autoribus Græcis Sophi-  
sta in omni genere dictus fuerit is, qui ex simulata &  
non verâ sapientiâ quæstum facit ὁ σοφιστὴς ἐστὶ χρηματιστὴς  
ἀπὸ φαινομένης σοφίας ἀλλ' ἐκ ἕξης lib. 1. Sophist. El. c. 1. §. 6.

conf. Suid. Tom. 2. ὀφί  
in voce Sophist. f. 777.  
D. & Tom. 1. in voce  
Δύναμις. fol. 782. A.

§. 3. Vedelius in rationali suo Theol. lib. 2. c. 6. in  
verbis Arist. σφάλμα Typographicum occurrere autu-  
mat, pro χρηματιστῶν enim legendum esse putat χρηματι-  
στῶν, ut sensus sit, Sophistam esse, qui ex apparenti Sapi-  
entia denominetur, non verò, qui ex ea lucrum quærat.  
Sed Vedelius videtur hac in parte talem, qualem de-  
scribit, egisse Sophistam, dum illud scire & legisse vide-  
ri voluit, quod adhuc ignoravit, quod sc. Græci Sophi-  
stam à fine imprimis denominarunt & proposito, lib.  
4. Met. c. 2. eum puta, qui omnia fecit lucri causa. Un-  
de Philosophus lib. cit. c. 11. οἱ μὲν τῆς νίκης αὐτῆς χάριν τοῖσιν, ἐ-  
ριστικοὶ ἀθροῦσι καὶ φιλέριδες δεκῶσιν εἶναι. οἱ δὲ δόξης χάριν τῆς εἰς  
χρηματισμὸν σοφιστικῆς. ἢ γὰρ σοφιστικὴ ἐστὶν, ὡς πρὸς εἰπομένον, χρημα-  
τιστικὴ τις ἀπὸ σοφίας φαινομένης, διὸ φαινομένης ἀποδείξεως ἐφίενται.  
καὶ τῶν λόγων τῶν αὐτῶν μὲν εἰσὶν οἱ φιλέριδες καὶ σοφιστῶν ἀλλ' ἔ τῶν  
αὐτῶν ἐνεκεν. καὶ λόγῳ ὅτι αὐτοὶ μὲν ἐστὶ σοφιστικὴ καὶ ἐριστικὴ, ἀλλ'  
ἔ κατ' αὐτὸ ἀλλ' ἢ μὲν νίκης φαινομένης ἐριστικὴς ἢ δὲ σοφίας σοφί-  
στικὴς. καὶ γὰρ ἡ σοφιστικὴ ἐστὶ φαινομένη σοφίας τις ἀλλ' ἐκ ἕξης.

§. 4. Ex quo capite discimus in Dialecticis (in Dia-  
lecticis dico, quia Sophistæ etiam in Rhetoricis, Poli-  
ticis



ticis &c. fuerunt) ἐρισικῶς contentiosos illos dictos fuif-  
se, qui solius victoriæ causâ disputando alios decipere  
conati fuerunt. Sophistas verò, qui idem fecerunt glo-  
riæ causâ, ut eam adepti quæstum facere possent, unde  
etiam Xenophon τῆς ἀργυρίῳ τῷ βυλομένῳ (τὴν σοφίαν) πωλῶν-  
τας, σοφιστῶν ὡς πωρῆς πόρνης ἀποκαλῶσι, lib. 1. memorabilium Socra-  
tis in fine. Vid. Plutarch. in quæst. Plat. quæst. 1.

§. 5. Quod si Sophistæ pro sapientibus habiti fue-  
rint, id à vulgo indocto factum esse existimandum,  
quemadmodum apud Platonem Hippocrates existi-  
mat, Sophistam esse, qui sapientiam intelligat, cui tamen  
Plato diversum monstrat, quod Sophista sit mercator &  
caupo victualium quorundam, quibus animus alicur, à quo ca-  
vendum sit, ne cum laudat, quod vendit, nos decipiat. lib. 16.  
de Protagora vel Sophista.

§. 6. Et si interdum sapientes dicti fuerint à viris  
doctis & sapientibus, sciendum, quod illi hac ratione,  
partim ironia, partim risu, sæpe joco & ludo, sæpius honesta qua-  
dam redargutione immeritam Sophistis auctoritatem conati fue-  
rint adimere, uti Platonem fecisse dicit Marsilius Fi-  
cinus in Gorgia, in Hippia, in Eutydemo

in Protagora & alibi.

tes, dolos, fraudes, astutias, calliditates, argutias fallaces et captiosas quibus homines imperiti facile falluntur, et capiuntur. Vid. Aristoph. in Pluto p. 109. v. 18. in Τεχνῶν δὲ πᾶσαι βιά βι καὶ σοφιστικὰ. Confule Schob. et in Hübner p. 79. v. 7. et p. 114. v. 2. Vid. Suid. Tom. 2. Oper. in voce Σοφ. f. 777. A. et B.

Quod forte et inde colligi potest quod Aristophanes dixerit σοφιστῶν pro λέκτορας, sapienter agere fallaciter loqui, pro callide, fallaciter agere, aut loqui, oratione fallit agere captiose. Dolose agere. Nam Sophistæ prisca vocabant ὀφειδῶνας, μαλαγῶνας, quibus homines imperiti facile falluntur, et capiuntur. Vid. Suid. Tom. 2. Oper. in voce Σοφ. f. 777. A. et B.

# T A N T U M.



